

adiutores se fuisse falsa dictione adseverarent ». Cf. Cave H. L. Sec. III. sub Victorino.

Res autem non est de Fide, quia haec interpretatio non est necessaria, etsi enim Angeli ante caelum et terram creati sint, tamen ab initio temporis creati dicendi essent, dummodo ante ipsos reapse fuerit nihil. Vox vero illa *simul* potest recte accipi ut sit pariter; ex aequo, quo statnatur adversus Manichaeos, contra quos Concilium egit, Deum auctorem esse cuiusque rei extra ipsum. Theodoretus qq. in Gen. c. 1. qui q. 3. superfluum hanc quaestionem dicit, « nam quid inavabit nosse quando conditi sint Angeli », q. 4. concludit dicens: « Illud porro scire necesse est omnia quaecumque exstant, excepta S. Trinitate, naturam habere creatam. Hoc autem concessio, si quis Angelorum turbas ante caelum et terram conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis. »

Ratione id probat S. Thomas, quia Angeli sunt pars universi, quod est aliquid unum; nam omnes creaturae ordinem quemdam ad invicem habent, neque ab hoc ordine Angeli sunt exclusi. Iam vero pars separata a toto non est perfecta; cum igitur Dei perfecta sint opera, non est probabile quod Deus creaturam angelicam seorsum ante alias creaturas creaverit. Rationem hanc s. Thomae perpendenti manifestum erit simultaneitatem temporis, quam s. Thomas requirit, non excludi per hoc quod Angeli aliquo instanti priore creati sint quam materia, quemadmodum non excluditur per hoc quod plantae e. g. exstiterint prius quam animalia. Et sane si post Angelos creatos statim subsecuta est creatio materiae, continuatio quaedam existit inter partes huius operis, nihilque divina sapientia, cuius perfecta sunt opera, indignum reperitur. Quapropter qui ita conciperet Angelos ante materiam creatos, non adversaretur illi sententiae, quam s. Thomas ut probabilior defendit. Atqui nihil aliud ex verbis Nazianzeni et Damasceni extendi potest quam istud ipsum, nempe ordine quodam a Deo processisse opera Dei, prius spiritus, deinde corpora, tum hominem ex spiritu et corpore constantem; non autem intervallo quodam eoque maximo disternatam esse productionem corporum a productione Angelorum; sed potius priorem effectiorem alteram continuo excepisse.

Potius haec sententia tribuenda foret Basilio, si in loco quem ex homilia 1. in Hexaem. iam pag. 42, seq. citavimus et expendimus, de angelica natura loqueretur. Ita quidem ipsius sensum accepit Theodorus Mopsuestenus, qui proinde eundem reprehendit, et Philoponus qui eum defendit (l. c.). Cf. tamen quae nos superius animadvertimus. Inania vero sunt argumenta, quae congerit Philoponus ad hanc Basilio sive iure sive iniuria tributam sententiam tuendam.

Observandum vero est Philoponum seculi VI scriptorem, qui pluribus et acriter hanc tuetur sententiam, Basilium tantum pro ea citare, et alium forte quem visus est impugnasse Theodorus, quique Philopono non satis notus fuisse videtur. Liqueat proinde graecos Patres non admodum a communi sententia abhorreere, quae negat spiritus ante caelum et terram esse creatos.

Thesis XXIII.

Ingens est Angelorum multitudo; nulla est autem ratio qua cogamur asserere specie eos differre, multoque minus tot esse in eis species quot individua; etsi plures in eis diversos perfectionis gradus existere probabile sit.

I. Factum hoc est quod Scriptura et Patres testantur. Scriptura eos repraesentat sub figura exercitus Luc. II, 13; 3 Reg. XXII, 49, atque *exercitus magni* Matth. XXVI, 53; iisque phrasibus utitur quibus multitudo quaedam omnem communem modum excedens significatur Apocalyp. V, 11. Et audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, et animalium et seniorum; et erat numerus eorum millia millium. Danielis VII, 10. Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. Iob. XXV, 3. Nunquid est numerus militum eius?

Ex Patribus conferri possunt Iustinus Apolog. 1. n. 6. Athanasius Orat. 3. contra Arianos: Dionysius Cael. hierar. c. 44, qui ex loco Danielis arguit eos tot esse ut numerari non possint. Sunt et qui putant ita se habere quoad multitudinem Angelos ad homines, sicut nonaginta novem oves ad unam, atque novem drachmas ad unam. Cyrillus hieros. Cat. 15. « Considera eos (homines) qui fuerunt ab Adam usque ad hodiernum diem. Magna quidem haec multitudo, sed haec tamen parva est, plus enim sunt Angeli. Nonaginta novem oves sunt illae, tu vero centesima, quoniam unum est tantum humanum genus ». Gregorius M. in Evang. hom. 34. « Decem Drachmas habuit mulier, quia novem sunt ordines Angelorum; sed ut completeretur electorum numerus, homo decimus creatus est ». Idem porro Gregorius ibidem Angelos comparat quoque nonaginta novem ovibus; ex quo intelligitur non certum numerum Angelorum voluisse Gregorium definire, sed solum excessum maximum supra homines.

Cur tanta sit multitudo Angelorum rationem colligit s. Thomas ex eorumdem perfectione. Cum enim perfectio universi sit illud, quod praecipue Deus intendit in creatione rerum, quanto aliqua

sunt magis perfecta, tanto in maiori excessu sunt creata a Deo. Cuius exemplum ponit in corporibus, ex quibus quae sunt perfectiora, nempe incorruptibilia (scilicet quae veteres talia existimabant) excedunt quasi incomparabiliter secundum magnitudinem corpora corruptibilia. Sicut autem in corporibus attenditur excessus secundum magnitudinem, ita in rebus incorporeis potest attendi excessus secundum multitudinem. Arbitratur idcirco s. Thomas tantam esse Angelorum multitudinem ut omnem materialem multitudinem excedant. Quaeritur an iuxta Thomam materialis multitudo, quam excedunt Angeli, sit multitudo specierum, an etiam individuorum? Putant quidam Thomam loqui de multitudine individuorum; alii satis esse arbitrantur si de specierum multitudine locutus esse dicatur. Res est in ancipiti: quia ex una parte multitudo excedens omnia individua materialia nimia videtur; ex altera parte multitudo maior tantum multitudine specierum materialium non ea esse videtur quae respondeat formulis in Scriptura usurpatis.

II. Specie differre dicimus quorum essentiae differentibus notis synthetice sumptis constituuntur, ut et diversa principia operationum diversaeque naturae existant. Ita homo et brutum, homo et Angelus, canis et formica differunt specie. Gradu tantum differunt ea quae eandem essentiam eandemque naturam diverso modo sive plus minus perfecte participant, ut virtus remissa et virtus heroica. Quaestio est 1) An Angeli differant specie: quaestio est 2) an saltem differant gradu perfectionis. Quaestio prior potest rursus duplex fieri, nimirum an singuli constituant species diversas, et an saltem plures species sint in Angelica natura, quarum unaquaeque plura individua habeat.

Si consulamus Patres, quidam forte citari possunt pro ea sententia, quae plures species, quarum singulae sua individua habeant, distinguit in Angelis, ut Methodius penes Epiphanium haer. LXIV, qui ait immortalium naturam non in angelos tantum et archangelos, sed et in principatus et thronos et potestates esse distributam; aliudque esse principatum genus, aliud potestatum; neque cherubim posse in angelorum speciem ($\tau\delta\epsilon\alpha\upsilon$) transformari, neque in aliorum angelos. Potest et Cyrillus hierosolymitanus censi in hac fuisse sententia, qui loco superius citato comparans Angelos nonaginta novem ovibus, centesimam ait esse homines quoniam unum est humanum genus; quibus verbis videtur homines spectare ratione speciei quae una est; atque ita conferre Angelorum multitudinem cum multitudine hominum sub ratione specierum: his accenseri potest Athanasius l. c. in seq. Thesi. At generatim Patres vel testantur se nescire quid inter se differant Angeli, vel, quorum est pars maior,

negant differre eosdem specie. Damascenus quidem De fide L. II. c. 3. ait « nescire nos utrum aequales sint essentia, an ab invicem discrepent » et Augustinus lib. ad Oros. cont. Priscillianistas et Origenistas c. 11 « esse sedes, inquit, dominationes, principatus, potestates, in caelestibus apparatusibus firmissime credo, et differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quanam ista sint, et quid inter se differant nescio ». Alii autem plures Patres disertè negant. Maximus Martyr in c. 3. caelestis hierarchiae hanc totius esse Ecclesiae traditionem ait, Angelos omnes unius esse naturae. Basilius Cont. Eunom. L. III. n. 2. Angelos, ait, omnes, ut appellationis unius sic et naturae esse eiusdem; « in dignitate quidem est differentia, in natura vero communitas ». Cyrillus Alexand. in Ioan. L. II. cit. « Angelus ab altero Angelo nulla re differt secundum id quod sunt Angeli, nempe pro eo quod cum sint eiusdem speciei omnes, in unam naturam colligantur ». Nyssenus cont. Eunomium Orat. 6. ait decipi eos qui ex diversis nominibus, quibus Paulus Angelos insignivit, colligunt voluisse eum docere differentias naturarum, cum non nisi varietas functionum designetur. Anselmus quoque in L. Cur Deus homo c. 21. docet Angelos esse unius naturae. Et ita alii.

III. Scholastici vero plures differentiam specierum in Angelis ponunt. Ad eam autem evincendam uti debent iis argumentis quae si quid valent, probantur etiam singulos Angelos specie differre ab aliis. Sane argumentatio eorum huc redit: Angeli sunt formae subsistentes separatae a materia, atque formae separatae a materia nequeunt inter se differre tantum numero, quia differentia sola numerica habetur per materiam; in qua forma inest, cum materia sit divisibilis. Et sane si albedo esset separata non esset nisi una, quis enim duas albedines abstractas concipit? Ergo Angeli non solo numero differunt inter se, sed etiam specie. Cui argumento reponimus 1) res quasvis inter se distinguere hoc ipso tantum quod una non est alia, nempe haec est haec, et illa est illa. haec autem est haec, et illa est illa propter suam realitatem. 2) Aequivocationem esse in exemplo allato albedinis; albedo enim separata, quae est una, est albedo abstracte concepta, unusque est eius conceptus obiectivus sicut una est definitio; atque ita quoque Angeleitas, ut ita dicam, una est; sed Angeli singuli sunt res concretae, quae plures esse possunt eidem conceptui respondentes. Et re quidem vera incredibile est Deum non posse creare alium Angelum, qui sit eiusdem perfectionis in essentia ac S. Gabriel. Itaque tenendum est nullam esse rationem quae evincat Angelos differre specie singulos ab omnibus aliis, aut etiam plures esse in illis species diversas propriis constantes individuis. Imo dubitari potest

an sit possibilis inter eos haec specierum differentia. Oporteret enim notas aliquas essentialis in quibusdam reperiri, quae deessent aliis, sicut in homine est rationalitas, quae deest bruto. At in puris intelligentiis discrimen aliud excogitari nequit quam maioris vel minoris vis in intelligendo et consequenter in volendo et agendo. Verum hoc discrimen non infert diversas notas, sed solum diversos perfectionis gradus. Sed haec de re satis.

IV. Gradus eos perfectionis intelligimus qui sint in ipsa natura. Notulum dicere singulos Angelos gradu perfectionis differre ab aliis; possunt quidem plures eodem gradu perfectionis contineri. Haec differentia graduum non negatur a Patribus, cum differentiam naturae negant. Eam differentiam suadet 1) pulchritudo maior ordinis, quae in tanta multitudine ex diversis gradibus exurgeret; 2) analogia ex aliis creaturis in quibus intra eandem quoque speciem diversos perfectionis gradus Deus distribuit.

Thesis XXIV.

Certa doctrina est multitudinem Angelorum in ordines diversos esse distributam.

I. Occurrunt plus minus frequenter in Scriptura appellationes Angelorum, Archangelorum, Principatum, Virtutum, Potestatum, Dominationum, Thronorum, Cherubim, Seraphim. Conferantur Ephes. I, 21; Coloss. I, 16; I. Thessal. IV. 15; Isaiae VI. 2. seq.; Ezech. X, 1. seq.; Daniel. III, 55; Iudae 9; Genes. III, 24; XVI, 7; XIX, 1; XXII, 41. Iam vero probandum est appellationes has designare diversos ordines spirituum, qui generatim veniunt quoque sub communi nomine Angelorum. Et sane primum ex Scripturis suaderi potest. Nam 1) constat appellationes istas designare non aliquid abstractum sed res concretas easque personas intelligentes. Id manifeste liquet quoad appellationes *Angelorum* et *Archangelorum*, si praesertim spectentur munera, quae his tribuuntur in Scriptura, ut est alloqui homines, nuntiare futura, altercari, videre Deum, et huiusmodi. *Seraphim* quoque personas designare ex eo patet quod dicantur clamare alter ad alterum ante thronum Dei Sanctus Sanctus Sanctus. Isa. VI, 2. seq. *Principatus* et *potestates* et *dominationes* possunt certe res concretas easque personas designare; enumerantur vero a Paulo Colos. I, 16. inter res creatas; creantur autem res concretae, atque caelestibus connumerantur, supra quae Christus constitutus ad dexteram Patris evectus est Ephes. I, 21; porro ex universa analogia Scripturae patet habitatores caelorum esse eos

spiritus qui ad homines frequenter mittuntur. Ergo. *Thronos* recenset Apostolus Coloss. I, 16, cum dominationibus, potestatibus et principatibus: in altero vero loco, omissis thronis, recenset cum iisdem *virtutes*; pronum est ergo intelligere thronos quoque et virtutes similes esse prioribus. Tandem Cherubim designare personas ex eo liquere potest quod positi sint a Deo ad custodiendum paradysum voluptatis Gen. III, 24; atque ex eo quod simul cum Deo Prophetis appareant atque operentur ea quae personis competunt. Ezech. X, 1. seq. Constat 2) ex iisdem locis personas has esse eos spiritus, qui caelos incolunt, qui Deo assistunt, quibus Deus utitur in gubernatione rerum, humanique generis; ideoque eos esse quos Angelos communi appellatione nominamus. Constat 3) appellationes supra dictas designare diversos ordines in quos sint distributi caelestes spiritus. Nam diversa nomina simul adhibita ad designandas personas alicuius multitudinis, quae certe potest in diversos ordines esse distincta, hanc notionem sponte suppeditant differentiae alicuius quae intercedat inter eos, qui diversis nominibus honestantur, quam notionem, nisi aliunde contrarium demonstretur, nulla est ratio cur exuamus. Praeterea si conferantur simul haec duae appellationes *Angeli* et *Archangeli*, manifestum erit per alteram significari gradum quemdam excellentiorem prae aliis, atque nomen Angeli non semper accipiendum ea significatione communi qua de omnibus caelestibus spiritibus dicitur, sed et speciatim aliquando pro iis qui sint Archangelis inferiores. Certum est ergo distinctionem alicuius ratione dignitatis haberi inter spiritus caelestes. Hoc vero positum, cessat omnis ratio negandi etiam per alia nomina distinctiones alias significari.

Probationem hanc ex Scriptura, confirmat et munit atque extra omnem dubitationem ponit universa Traditio Patrum. Unanimis enim docent 1) appellationes has ad spiritus caelestes spectare, 2) differentiam aliquam inter eos significare, ideoque *differentes ordines* eorum indicari, atque 3) eas appellationes singulas esse proprias singulorum ordinum; 4) et idcirco alios esse superiores ordines, alios inferiores nunquam cum alio confundi non posse. Testimonia disertissima prostant penes Petavium De Angelis L. II. c. 1. Pauca ex Patribus primorum saeculorum recitare sufficiat. Ignatius Epistola genuina ad Trallianos c. 6. iam id non prorsus obscure innit, dicens: « Ego non, propterea quod vincus sum et caelestia intelligere possum et coetus constitutionesque principatum invisibilia et invisibilia, propter hoc iam discipulus Christi sum. » Ireneus L. II. c. 54. « Dicant nobis quae sit invisibilium natura, enarrant numerum Angelorum, et ordinem Archangelorum, demonstrent

Thronorum sacramenta, et doceant diversitates Dominationum, Principatum, Potestatum, atque Virtutum. » Cyrillus hierosolym. Cat. 11. « Si fieri posset ut quispiam in primum caelum ascendens, et Angelorum, qui illic sunt, statum comprehendens, et accendens ad eos interrogaret quomodo Deus Filium suum genuit, forte dicerent: habemus supra nos maiores, et superiores alios: illos interroga. Ascende ad secundum, tertiumve caelum, perveni, si potes, usque ad Thronos, Dominationes, Principatus, et Potestates... Ego vero temerariorum hominum curiositatem sum semper admiratus... Quippe Thronos et Dominationes, quae Christi opera sunt, et Principatus et Potestates ignorantes, horum conditorem curiosius indagare student. Dic mihi prius, homo audacissime, quid Thronus a Dominatione differat... dic mihi, quid sit Principatus, quid Virtus, quid Angelus; et tunc factorem ipsum curiose perquire. » Hilarius in Psal. 118. lit. 3. n. 10. « Scit in caelis propheta plura Dei esse mandata, scit per diversitatem ministeriorum diversas esse praecceptorum observantias, Angelorum, Archangelorum, Thronorum, Dominationum, Potestatum et Principatum. Quos utique necesse est, ut nominibus, ita et officiis esse diversos. » Athanasius Orat. II. n. 19 cont. Arianos. « Neque enim irrationalia sunt sicut homo rationalis, neque Angeli ut Throni, neque hi ut Potestates: sed omnes quidem sunt creaturae; singulae vero res creatae, secundum genus suum, in propria substantia, uti factae sunt, sic existunt et manent. » Cyrillus Alexandr. Epistola paschali 12. « Numero quidem maiorem spirituum beatorum multitudinem condidit, et ordinem iis, quae condiderat, optimum assignans, alium vocavit Principatum, alium Dominationem, alium Thronum, quosdam item Archangelos, nec non Angelos. » Theodoretus Orat. 3. ad Graecos. « At enim credo vos dicturos; atqui etiam vos Christiani quasdam virtutes esse dicitis, quos et Angelos et Archangelos appellatis ac Principatus et Potestates et Dominationes et Thronos, et alios rursus hebraeorum lingua Cherubim ac Seraphim nominari scitis. » Confer et Hieronymum L. 1. adver. Rufinum n. 23. Novem diversos ordines enumerant Chrysostomus hom. 4. in Gesimam, Sophronius Episc. hierosoly. in Encomio SS. Angelorum, Missale Maronitarum penes Daniel Thesaurus hymnologus in Synaxi Syrorum p. 179, et 245. Notum est omnibus quid Dionysius in Cael. hierar. doceat, de quo paulo post. Patres subsecuti scholastici tanquam certissimum doctrinae caput distinctionem ordinum inter Angelos tradiderunt. Quod doctrinae caput sua quoque Liturgia passim Ecclesia confirmavit.

Iam vero advertendum est doctrinam hanc adeo constantem et

universalem et certe creditam non posse rationem sui habere nisi in divina revelatione; res est enim facti quod a libera Dei voluntate pendet, cuius certitudo constans et universalis esse nequit citra magisterium Dei.

Itaque in aliquos ordines esse Angelos tributos certum est.

Queri potest utrum sint tantum ii ordines quos ab initio enumeravimus? Id profecto non est adeo certum. Etenim quidam Patres moti verbis Pauli ad Ephesios I, 21 supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo sed in futuro, arguunt alias esse virtutes quarum nomina ne novimus quidem, ut Chrysostomus De Incomp. hom. 4. et quas in futura vita cognoscemus, ut Theodoretus Comm. in epist. ad Ephesios c. 1. 21: Quae quidem argumentatio ex loco Pauli, esset evidencior, si ibi Paulus novem prorsus nomina, quae Angelis tribuuntur, enumerasset. Ipsa Dionysius qui novem ordines adeo distincte definit, cuiusque in Ecclesia tanta fuit et est auctoritas, c. 6. Caelistis hierarchiae, satis significat se de iis loqui ordinibus qui nobis manifesti sunt, utrum vero alii sint se ignorare, Deumque unum ipsosque Angelos id nosse.

An tot reapse sunt ordines, quot enumerantur nomina Angelorum? Et hoc quoque minus est certum, cum PP. generatim modo hos modo illos ordines memorent; et identidem iisdem eadem appellationes fiant. Quidam advertunt nomina horum ordinum novem esse quidem certa ratione propria singulorum, at identidem aliis communicari: ut liquet in nomine Angelorum, sed et in nomine *Virtutum* id notavit Dionysius Cael. hierar. c. 11. et *Cherubim* Gregorius Magnus hom. 34. in Evang. Cf. Suarez de Angelis L. 1. c. 13. rationem huius rei reddentem.

Hactenus probavimus ordines in Angelorum multitudine distinguendi, quin distinctius explicaremus quid nomine ordinis sit proprie intelligendum. « Diversitas ordinum, ait a. 2. S. Thomas secundum diversa officia et actus consideratur: sicut patet quod in una civitate sunt diversi ordines secundum diversos actus. Nam alius est ordo iudicantium, et alius pugnantium et alius laborantium in agris et sic de aliis. » Itaque ordo in Angelis est quaedam Angelorum collectio ad certa officia certosque actus destinata; officia autem et actus eis respondentes, vel ad Deum vel ad homines vel ad alios Angelos speciatim referuntur. Sane ipsa nomina, quibus ordines appellantur, officium aliquod actumque significant.

Utrum horum ordinum institutio et distinctio spectet ad statum supernaturalem tantum, in quo Angeli creati fuerunt, an etiam ad ordinem naturalem, ita ut si Angeli elevati non fuissent ad statum

supernaturalem, in eosdem ordines fuissent distincti, disputant Theologi. Ad statum supernaturalem pertinere nomina quaedam ostendunt, cuiusmodi sunt Seraphim, Cherubim, Throni. Ajunt plures cum s. Thoma ordines esse in Angelis « *completive* secundum dona gratuita, *dispositivae* autem secundum dona naturalia » a. 4. Ratio eorum est, quia species diversas in Angelis ponunt et volent Angelis data esse dona gratuita secundum capacitatem naturalium, ita ut perfectiori naturae copiosior sit gratia collata. Quod tamen certum non est, licet sit probabile. Si ex s. Thomae et plurium aliorum Theologorum auctoritate probabilitas comparatur opinioni huic, quod secundum naturalem perfectionem dona gratiae sint Angelis concessa; probabile erit etiam, omissa distinctione specifica, Angelos actos fuisse donis supernaturalibus secundum gradum perfectionis, quos diximus in iis reperiri.

III. Quaeres quomodo disponendi sint isti ordines? Dionysius Cael. hier. c. 6. ita disponit: Seraphim, Cherubim, Thronos, Virtutes Dominationes, Potestates, Principatus, Archangelos, Angelos; quae series quoad Virtutes, Dominationes, et Potestates, paulo immutatur ab eo cum eorum munera explicat.

Gregorius Magnus ad inferioribus ad superiores ascendens ita distribuit Angelos hom. 34. in Evangelia: Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, Seraphim.

Sophronius Damascenus Patriarcha hierosolym. in Encomio sanctorum Angelorum ita eos ex ordine enumerat singulos propriis invocationibus prosequens: Seraphim, Cherubim, Thronos, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus, tum Michaelem principem sacrae militiae, et Gabrielem; tum simul reliquos Angelos et Archangelos. Enumerationem Gregorii Magni sequuntur et S. Bernardus De Consid. L. V, c. 4. et S. Isidorus Hispalensis De Origin. L. VII.

Hugo Victorinus Summa sententiarum L. I. Tract. II. c. 3. ita dixerit: Seraphim, Cherubim, Thronos, Dominationes, Potestates, Principatus, Virtutes, Archangelos, Angelos.

Ex quibus liquet tres superiores ordines, et duos inferiores fixos esse penes omnes; ceteros plus minus variari; quod ex parum distincta significatione, quam per se nomina ea praefertur, profectum esse putandum est.

Quaestio est de muneribus horum ordinum. Ab ea ita se expediat Augustinus in Enchir. 58. « Quid inter se distent quatuor illa vocabula, quibus universam ipsam caelestem societatem videtur Apostolus Colos. 1. 16, esse complexus, dicant qui possunt, si tamen possunt probare quod dicant; ego me ista ignorare confiteor. »

At ea munera praeter Dionysium, sic Gregorius l. c. explicat, cuius explicationem et alii latini superiores citati fere sequuntur. Angeli minora nuntiant, Archangeli majora. Virtutes miracula patranti, saltem frequentius. Potestates ii sunt quibus adversae virtutes subditae sunt, quippe eas cohibent, ne hominibus noceant quantum velent. Principatus praesunt bonis Angelorum spiritibus ad explenda divina ministeria. Eis Bernardus tribuit praese principatus terrenis. Dominationes sunt qui non solum alios praesunt ut Principatus, sed et dominantur, subiectos eos habentes sibi. Eis tribuit Bernardus praese inferioribus Angelis. Throni sunt ii quibus Deus praesidet ad exercendum iudicium. Cherubim sunt ii, qui tanto perfectiore scientia pleni sunt, quanto claritatem Dei familiaris contemplantur. Seraphim ii vocantur, qui ex singulari propinquitate Dei incomparabili ardent amore. Quae doctrina terminos probabilitatis non excedit.

Nota non adeo recte quosdam advertere, quod vulgatis post seculum quintum libris Dionysii, Gregorius novem ordines tradiderit, eorumque proprietates; nam satis constat Gregorium non legisse opera Dionysii, eiusque doctrinae, cuius famam audierat, non admodum adhaesisse. « Fertur (ait hom. cit. n. 12) Dionysius Areopagita antiquus videlicet et venerabilis Pater dicere etc. » sententiam proinde quamdam Dionysii non ex lectione, sed ex fama refert. Porro non ita locutus fuisset (*fertur* etc.), si ipse opera eius legisset.

IV. Nulla penes Gregorium, Sophronium, Isidorum et Bernardum mentio hierarchiae triplicis; verum ex muneribus attributis patet primos tres ordines secum ipsis spectatim cohaerere, et ab aliis discerni: item alios tres sequentes, atque rursus tres postremos tum secus ipsis speciali ratione congruere, tum ab aliis distingui. Generatim dici potest, primum tertium, ut loquitur Hugo Victorinus l. c. immediatum ordinem habere ad Deum, alterum tertium habere immediatum ordinem ad alios Angelos, tertium habere immediatum ordinem ad homines.

Aliqua de Hierarchiis. Hierarchiae caelestis conceptus ex ecclesiastica hierarchia desumptus est. Hierarchia est principatus sacrorum; sacer proinde principatus. Forma eius est potestas circa sacra; materia constituitur cum iis qui hac potestate pollent, tum iis qui hac potestate praediti subiecti sunt. Pressius hierarchia est principatus supremus circa omnia sacra, quae a quovis ministro exercentur. Finis hierarchiae est promotio creaturae rationalis in Deum. Functiones eius in hac ecclesiastica ad has revocantur, quae sunt *purgatio, illuminatio, perfectio*. Ita Dionysius De Caelesti hierarchia c. 3. Haec si ad Angelos transferantur, oportet ut in iis sit aliquid quod respondeat tum potestati sacrorum, tum iis, qui hac potestate potiuntur, tum

iis, qui huic potestati sunt obnoxii. Sacra sunt ea, quibus initiati purgantur, illuminantur, perficiuntur. Angeli spectari possunt dupliciter. 1) In statu viae, considerando omnia dona gratuita quae Deus superaddidit illis, quibus donis et purgati sunt quatenus divina gratia effectum est ne peccarent, et illuminati sunt cognitione Dei, et perfecti sunt immutabili charitate. 2) Spectari possunt prout iam beatitudinem obtinent, considerando ea quae rursus a Deo tum immediate tum mediate accipere possunt. In hoc statu manifestum est purgationi propriae dictae in Angelis non esse locum; possunt tamen improprie purgari, quatenus defectus removetur alicuius notitiae; quo fit ut purgatio redeat ad quamdam illuminationem. Item Angeli, qui in statu beatitudinis quiescunt, perfici nequeunt nisi quatenus novas notitias accidentales acquirant, quae per se eis non debentur ratione beatitudinis. Itaque omnis actio hierarchica in Angelis tandem redit ad illuminationem quamdam. Per hanc illuminationem promoventur Angeli in Deum, quatenus divina opera, divinaeque decreta vel simpliciter, vel magis cognoscunt, et ad exsequenda divina mandata habiles fiunt.

His praestitutis quaestio est utrum hierarchia sit in Angelorum multitudine, et utrum triplex distinguenda sit. Prima quaestio facile expeditur. Hierarchia enim, ut ait s. Thomas, est sacer principatus. Sub nomine principatus duo intelliguntur, scilicet ipse princeps, et multitudo ordinata sub principe. Iam vero sic passive hierarchia accepta, liquet quod omnis multitudo Angelorum sub Deo ordinata est, a quo tum in statu viae tum in statu beatitudinis dona supernaturalia eaque maxima obtinuit et obtinet, per quae Deo perfectissime adhaeret. Et sic una est hierarchia omnium Angelorum sub uno Deo. Imo et multitudo hominum beatorum unam cum Angelis sub Deo hierarchiam constitutere dicenda est, idem enim est princeps, eadem dona, idem finis. Si vero compararetur utraque multitudo Angelorum et hominum quoad statum viae modusque spectetur, quo in finem promoti sunt Angeli et promoventur homines, tum sicut diversa est natura diversusque modus promotionis, ita et diversa hierarchia dicenda est. Ergo prout hierarchia dicit multitudinem principi sacrorum adunatam, hierarchia est in Angelorum multitudine.

Alteri quaestioni affirmative respondet Dionysius De Caestis hierarchia c. 6., et post eum plures Graeci Patres, omnesque Scholastici. In assignando autem discrimine unius ab alia discrepant quodammodo, ita tamen ut quoad aliquem conceptum confusum fere conveniant. Nobis satis erit ea indicare quae sunt plus minus communia omnibus. Nunc vero hierarchia active spectatur. Itaque An-

geli medii sunt Deum inter et homines; Deo adhaerent, homines ceterasque res creatas sub Deo regunt et in finem adducunt. Haec per se competunt omnibus Angelis. Verum quidam ex iis sunt, quibus magis proprie competit in his inferioribus immediate operari et ad homines mitti; quidam e contrario quibus magis proprie competit Deo assistere in caelis, et nonnisi raro mitti, atque si mittantur, immediate a Deo mitti; quidam tandem sunt, quorum proprium est et mediate a Deo mitti per superiores, et alios inferiores mittere. Mittuntur autem per illuminationem, quia divina decreta eis patefiunt, et quoddam imperium cum ea coniungunt. Primi ergo a Deo tantum illuminantur, secundi immediate a primis, et mediate a Deo tantum, tertii immediate a secundis, mediate et a primis et a Deo illuminationem recipiunt. Quia vero rursus in unoquoque ex his tribus gradibus possunt esse diversa officia, actusque diversi; ita potest intelligi ratio cur in quavis hierarchia tres ordines esse possint, ut ait s. Thomas a. 2. Monet autem idem s. Thomas a. 3. cum s. Dionysio quod nos «non possumus distinguere officia et ordines Angelorum nisi in communi, secundum quem modum multi Angeli sub uno ordine continentur. Si autem perfecte cognosceremus officia Angelorum, et eorum distinctiones, perfecte sciremus quod quilibet Angelus habet suum proprium ordinem in rebus, multo magis quam quaelibet stella, etsi nos lateat.»

Iam vero cum hac doctrina de tribus hierarchiis congruit explicatio ea quam omnes tradunt de diversis muneribus diversorum ordinum Angelorum. Dici ergo potest ad rem quod spectat, eos omnes in hanc sententiam concessisse. Et sane hic triplicis hierarchiae conceptus non est nisi modus quidem distinctivus concipiendi novem ordines, quos ex Scriptura et Traditione Schola recenset. Seraphim enim Cherubim et Throni designant spiritus, qui specialem habitudinem ad Deum habent; Angeli et Archangeli designant eos qui specialem habitudinem ad homines habent; cetera nomina minus distinctas significationes habent; sed omnibus simul collatis primum est intelligere diversos gradus inter hos ordines existere, et cum primis tribus ordinibus certa classis constituitur, quae ab aliis differt, ceteros quoque ordines in duas rursus classes unamque tribus ordinibus constantem dividi; atque ita principio, medio et fine multitudinem Angelorum absolvi. Quare etiam seposita auctoritate, res est per se probabilis.

V. Quaeres cuius ordinis sint septem illi spiritus, qui dicuntur adstare ante Dominum Tobiae XII, 13. Apocal. I, 4. Omissa ea interpretatione, qua septem hi spiritus (Apocal. I, 4.) dicuntur esse septem dona Spiritus, de quibus Isaias XI (cf. Benedicti Pererii

Disputt. in Apocalypsim D. 7.) probatur non paucis ea interpretatio quod scilicet eo numero septenario universitas Angelorum significatur, et sic illi sint omnes Angeli; verum septenarius iste numerus solet quidem in Scripturis pro numero rotundo aut indefinito poni, sed tamen numero minore, ut non admodum multi sub eo possint intelligi; Angeli vero omnes profecto sunt multi. Vel ergo pauci ibi Angeli significantur vel simpliciter tenenda est literalis et obvia interpretatio secundum quam septem Angeli sunt reapse septem Angeli speciales distincti a ceteris. Et licet quis censere velit quod ipsi sint septem Angeli tutores septem Ecclesiarum, de quibus Ecclesiis mox occurrit sermo; distincti profecto ab iis, qui paulo post vocantur Angeli septem Ecclesiarum, nam Angeli septem Ecclesiarum repraesentantur per septem stellas (I, 20) et ad eosdem Angelos ipse Iohannes scribit (II, III); haec tamen interpretatio nulla ratione falcitur. Quid quod Apostolus deinde mentionem quoque facit septem Angelorum cantantium tubis c. VII. et aliorum septem habentium phialas irae Dei c. XVI. et septem spirituum, qui missi sunt in universam terram c. V. 6., qui possunt censeri iidem semper esse? Non est ergo ratio cur potius de tutoribus Ecclesiarum quam de his ea verba (I, 4.) interpretemur. Cum autem specialis eorum mentio fiat et post Deum immediate appellentur ab Apostolo, probabile est eos esse septem excellentiores ceteris, seu principes primos inter Angelos, e quorum numero testatur (I. c.) se esse Raphael, et dicitur esse Michael (Daniel. X, 13). Hi autem vel assumpti sunt ob sua merita ex omnibus choris Angelorum, vel chorum quemdam specialem ab initio constituebant. Zacharias vero R. P. in Romana Synodo vetait quidem alia nomina horum Angelorum praeter tria nota usurpari, sed nihil quoad quaestionem de speciali dignitate septem Angelorum definit, qui alieni postea, ut in Sicilia et Romae quoque in templo S. Mariae De Angelis, cultum specialem obtinuerunt. Cf. Commentarios Blasii Viegas in Apocalyp. in h. 1.

ARTICULUS II.

DE HOMINE

Thesis XXV.

Nobilissimum creationis opus inter visibilia est homo. Certum est autem ipsum non incepisse existere veluti terminum cuiusdam evolutionis organicae aut animalis, sed immediate in sua specie conditum fuisse a Deo.

I. Constat primum a) inspecta hominis natura ac comparatione instituta eam inter ceterasque naturas sensibiles. Id quoque b) affirmant Patres, cum rationem exquirunt cur ex tot naturis ultimus homo sit productus. Eam enim repetunt ex hoc quod ipse sit finis proximus omnium visibilium, ideoque eorum veluti rex: quocirca ait Nazianzenus orat XLIII. « Si postremus homo creatus est, nemini mirum videri debet. Construendum enim prius tanquam regi palatium erat, atque ita rex introducendus omni iam suo satellitio stipatus. » Ita et Zacharias Mitylensæus De Mundi Opificio. « Oportebat enim quasi regi et convivae ab omnium rege et epuli magistro praeparari regias aedes et convivium. » Idem et Nyssenus De hominis opificio c. 2. et Severianus Gabilitanus Orat. 4. docent. Iam vero si homo postremus est inductus in mundum quia rex est et ad ipsum omnia ordinantur; ipse excellentior ceteris dicendus est.

Constat id rursus c) ex modo quo a Moysæ creatio hominis describitur. Significatur enim aliquid praestantius ceteris moliri Deum. Etenim, ut advertit Nyssenus De hominis Opif. c. 3. « Tumultuarie quodammodo creatura alia divina virtute producitur, solo imperio subsistens. Hominis vero structuram consilium antecedit, et ab artifice ipso quadam sermonis pictura quod futurum erat adumbratur. » Et Gregorius Papa Moralium L. IX, c. 27. « Quamvis per coaeternum Patris Verbum cuncta creata sint: in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel caelestibus sed tamen insensibilibus homo praeferatur. Cuncta quippe dixit, et facta sunt. Cum vero facere hominem decernit, hoc, quod reverenter pensandam est, praemittit dicens: faciamus hominem etc. Ut videlicet quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Quasi per studium de terra plasmatur; et inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, ut scilicet